



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

Epistola II. Martini Papae IV. Ad Capitvlym Ecclesiae Sancti Martini  
Tvronensis. De priuilegiis eiusdem ecclesiae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

## EPISTOLA II.

## MARTINI PAPÆ IV.

AD CAPITVLVM ECCLESIE SANCTI MARTINI  
TVRONENSIS.

De priuilegiis eiusdem ecclesie.

*Martinus episcopus seruus seruorum Dei dilectis filiis decano & capitulo ecclesie sancti Martini Turonensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, salutem & apostolicam benedictionem.*

**E**CCLESIAM vestram, in qua dudum in minori officio constituti thesauraria officium gessimus, sinceræ dilectionis brachiis amplexantes, in his quæ personis in ea virtutum domino famulantibus votiua secundum Deum fore prospicimus nos fauorabiles exhibemus. Cum itaque ordo, qui circa celebrationem diuinorum officiorum in ecclesia ipsa consuevit hætenus obseruari, sit per aliquorum additionem & subtractionem etiam immutatus, nos intendentes super hoc salubriter prouidere, auctoritate vobis præsentium indulgemus, vt in celebratione officiorum prædictorum ordinem, quem ecclesia Romana in diuinis officiis celebrandis obseruat, vti libere, si eidem ecclesie videritis expedire, possitis: & nihilo minus speciales ipsius ecclesie vestre festiuitates, si velitis, more solito celebrare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli se nouerit incursum.

Datum apud Vrbem veterem Idibus Februarii, pontificatus nostri anno primo.